

Rex
captivos
Principes
libertati
restituit.

perfringere posset, per meliora consilia omnes Saxoniæ Principes, qui cum Magdenburgensi, Merseburgensi, Misniensi Episcopis adhuc in custodia servabantur, libertati reddi jubet. Bucco sive Burchardus Halberstadiensis Episcopus, quem in Ungariam deportari jussérat, & Salomoni affini Regi custodiendum tradiderat, cùm secundo Danubio veheretur in exilium, mira solertia elapsus è navi, in columnis ad suos Halberstadium redijt. Et quām incredibili ille omnium gaudio exceptus, tam invisus erat ante omnes Principes Regi; sæpeq; Regis insidijs ad mortem est petitus. Vir qui heroica fortitudine hactenus pro libertate Saxoniæ, & religionis integritate decertavit. Inter illa dum Rex in Bohemiam profectus, sollicitatum Bohemorum auxilia: & Salefeldiam ad Thuringorum fines evocavit Ottonem Gottingensem, collocuturus de Saxoniâ compescendâ; Episcopi ac principes regni primùm Ulmæ, deinde Triburiæ 17 Calend. Novembris conveniunt; quò jam accesserat Sigehardus Patriarcha Aquileiensis. & Altmannus Pataviensis Episcopus, Pontificis legati, Rege se intra Oppenheim villam continente. Ex eo conventu denunciatum Regi, ut cum Pontifice & Ecclesia se reconciliaret, in ejusque arbitrio jus Regni relinquere; vitam interea privatam Spiræ agendo, pessimos Regni Consiliarios, cum primisq; Episcopos à corpore Ecclesiæ præcisos, abs se dimitteret. Dura hæc Regi erant; sed quod desertus ab ecclesia & Pontifice se reconciliaresta. omnibus, in eam necessitatem venisset, Coloniensem, Bambergensem, Argentoratensem, Basileensem, Spirensim, Losannensem, Citicensim, & Osnabrugensem Episcopos, ceterosque pravorum consiliorum architectos aula egredi jussit. Veritus deinde ne Augustæ, quò Pontifex maximus à Germaniæ & Saxoniæ proceribus invitatus erat, coram infestissimis accusatoribus judicium subiret, prius ipse Italianam petere, & Pontifici se sistere decrevit, iterque illud mense Decembri ingressus est. Recognoscent, ex his, opinor, Saxones nostri Germanique, quam auctoritatem agnoverint majores ipsorum in Romano Pontifice, appellando toties ad Apostolicam sedem, quo impij & crudelis Regis dominatu, qui se lupum potius Saxoniæ, quam Pastorem ferebat, liberari tandem possent, aliumque ex supra- ma ejus in Ecclesiam potestate subrogare.

Alij Pontifici, alijs Regi adhærent.
Lefnerus in chron. Corb. Clem. sorg. in chron. MS.

Turbato in hunc modum Imperio, non modo Episcopi ceterique Principes, sed & Abbates ac Monachi in factiones abierunt, alijs pro Rege, alijs pro Gregorio Pontifice decertantibus; quos inter Corbeienses nostri ad Visurgim; ex quorum numero etiam Bernardus Monachus, vir eruditus, & Scholarum in illo Cœnobio moderator, prolixam accuratamque adversus schismaticum Regem, omnemque illam Regis factionem apologiam conscripsit, quam Hartwico postea Magdenburgensi Archiepiscopo dedicatam, publici juris fecit. Hoc studio Monachus quidam Hirsaugiensis, aliiq; Pontificis